Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26142
Copyright: Admont, Benediktinerstift

obseruate custodias uestras et altaris. et tabernaculi. Mandata quidem certa sunt et euidentia ut obseruare debeamus custodias tabernaculi et altaris. et sacerdotii. Qui sane sit qui obseruet et faciat ea que sacerdotibus mandata sunt. et quis sit qui utatur quidem ordine et ore sacerdotii. opera uero et sacerdocii ministerium non obseruet. ille solus scire potest qui scrutatur renes et corda. Mandantur autem obseruari non solum ea que foris sunt. sed ea inquit ut curent sacerdotes precipue que intra uelamen sunt. uelut si diceret cura sit sacerdotibus et euidentia ac manifesta mandata diuine legis implere et mysteria eius abscondita et uelata. omni perspicacia contueri. Si uero ad hominem uelis referre tabernaculum testimonii quoniam quidem corpus hominis tabernaculum paulus appellat dicens. qui enim sumus in tabernaculo hoc gemimus adgrauati in quo nolumus spoliari. sed super uestiri. Si igitur ad hominem tabernaculum referamus interiora uelaminis uero inaccessibilia esse tegunt principale cordis dicemus. quod solum recipere potest mysteria ueritatis. et capax esse archanorum dei. Altaria uero duo idest intus exteriusque: quoniam altare orationis indicium est. illud puto significare quod dicit apostolus orabo spiritu. orabo et mente. Cum enim in corde orauero. ad altare interius ingredior: Et hoc puto esse quod dominus dicit in euangelio. Tu autem cum oras intra in cubiculum tuum. et claude ostium tuum. et ora patrem tuum in abscondito. Qui orat ita ut dicit ingreditur ad altare incensi quod est interius. Cum autem quis clara uoce et uerbis cum sono platis quasi ut edificet audientes. orationem fundit ad dominum. hic orat spiritu et offerre uidetur hostiam in altario quod foris est ad holocaustomata populi constitutum. Oportet ergo sacerdotes ea curare precipue et custodire que intra uelamen intus esse tegunt. ne quid ibi pollutum. ne quid inueniatur inmundum. hoc est interiorem hominem. et cordis secreta curare ut ibi inmaculata permaneant. cherubyn et propi